









1690.

1. Brückner, W. Ch. Hieronymus: Professionem iuris ordinariam . . . tunc significat, et simul de justitia Romanorum et inde scientia norma, quam jurecivile vocant, agit.

2. Brückner, W. Ch. Hieronymus: De promissione personam extorta.

3. Hartung, Ioh. Christoph: De parta legitima: septuagesimi et undecimestri.

4<sup>o</sup> = Hartung, J. Christophorus: De aucto jure non improbat. 2 Exempl. 1690 ± 1724.

5<sup>o</sup> = Hartung, J. Christoph: De Relatoribus. - - -  
2 Exempl. 1690 ± 1725.

6<sup>o</sup> = Hartung, J. Christoph: De formula ac sydes. - -  
2 Exempl. 1690 ± 1753.

7. Lyncker, W. Ch. Christopherus, F. j'm. Recens: Ad commun. Fabri & nem sollemnam Iohannem Christophtori Thillii invitat.

8<sup>o</sup> = Lyncker, W. Ch. Christopherus: De eo, quod circa Lazarum Coenam iustum est. 2 Exempl. 1690 ± 1784.

1690.

9. et. Lynden, Nic. Christoph: *De potentata 2* 2*Scand Mgo*  
1737.

10<sup>o</sup> ~~et~~ Lynden, Nic. Christoph: *De party rapporto* <sup>de</sup>

10<sup>o</sup> Lynden, Nic. Christoph: *De cautione fructuaria* 19

11. Lynckens, Nic. Christophorus: *De affectione*

12. Maelpfort, Christophorus Werthers: *De praerogativa  
cautionis* 20

13<sup>o</sup> ~~et~~ Maelpfort, Christophorus Werthers: *De investitura  
praelati fundati circa bona ecclesiastica*. 25*Scand*

1690-1737.

14. Maelpfort, Christophorus Werthers: *Y modo proceduntur  
in causis criminalibus, occasione p. 17 C. De accusat.  
et. inscript.*

15<sup>o</sup> ~~et~~ Matherus, Petrus: *De minuta vulgo in Punctacionem*  
2*Scand* 1690-1712.

16. Matherus, Petrus: *De justa auctoritate.*

1690.

17 Müllerus, Petrus : De ea, quæ justum est coria cap  
linorum redemtionem

18 Müllerus, Petrus : De arte notariatus.

19<sup>a</sup> Müllerus, Petrus : De homicidio a pluribus commisso.  
2 Septpl. 1690 : 1704.

20<sup>a</sup> Müllerus, Petrus : De aestimatione judiciorum.  
2 Septpl. 1690 : 1712.



*1690, 9 b* 482  
14  
3

DISSERTATIO JVRIS PVBLICI  
DE  
**POTENTATV**  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO  
**DN. NIC. CHRISTOPHORO**  
**LYNCKERO**

HAEREDITARIO IN Fluhrstädt ET Rötschau, CONSILIA-  
RIO SAXONICO INTIMO, VT ET REGIMINIS ET CON-  
SISTORII TVTELARIS, FACVLTATIS JVRIDICAE SE-  
NIORE, ANTECESSORE PRIMARIO, CVRIAЕ PRO-  
VINCIALIS AC SCABINATVS ASSESSORE  
GRAVISSIMO

*Jena*  
AD DIEM III. NOVEMBER ANNO MDC XC.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPOSUIT

RESPONDENS

**JOHANNES MICH. HARTMANN,**  
SVEVO-HALENSIS.

---

*VITEMBERGAE*  
RECVSA LITTERIS HAKIANIS. MDCCXXXVII. (3)

40.

DISSTRICTUS TURIS PARISIENSIS  
POENITENTIA  
LAETITIA  
IN MIC. CHIRISTOPHORO  
PRAESES  
CIVITATIS  
CIVITATIS  
SCANDINAVIAE VULGARIS  
CIVITATIS  
AD DEUT. ALEXANDRIAE ANNO MDCC XC  
PARVUS  
TOLLELES TICUS HARTMANN  
SALVO HARTMANN  
RECHT HARTMANN



861

## PRAEFATIO.



Gredior tractationem, quæ cum Juri publico Romano Germanico, qua ci-  
vile est, originem & incrementum de-  
beat, robur tamen suum ex *Jure Cen-*  
*tium* magis, quam ipsa Majestas Civi-  
lis, consequitur. Nam *Majestatem*  
quidem Imperii reverentur etiam ex-  
teri, eamque respiciunt; potestatem  
vero cives illius & subditi agroscunt, eique obsequuntur.  
Sed *Potentatus* ad subditos haec tenus non refertur, verum  
unice in societate Gentium, & in his *Potentum* aliorum,  
se exserit: indeque ex *Jure Publico Centium* quam maxi-  
me dijudicantus est. Evidem argumentum hoc pauci-  
admodum attigere; cuius rei ea potissimum ratio censem-  
da est, quod plerique ex Scriptoribus pro fætu solummo-  
do novaturientis seculi id ipsum agnoverint. Majorem  
tamen lucem ei conciliare studuit personatus ille *Cæsari-*  
*nus Fürstenerius*, (quasi *Cæsari* & *Principibus* Imperii æque  
addictus,) in Tractatu suo de *Jure Suprematus ac Legationis*  
*Principum, Germaniæ*; De quo Scriptor quidam *Anony-*  
*mus, in discursu ad ejusd. Tract. Praefat. Prodit,* inquit, ante  
annos non ita multos, sub medio *Pavis* tunc *Neomagi* conficien-  
de fervore, scriptum aliquod, cujusdam *Cæsarini Fürstenerii*  
de *Jure Suprematus*, cum novitate argumenti, qua plerique

A. 2

de-

delectantur: tum vero etiam summa Authoris facundia, & flu-  
pendo pene artificio insinuandi commendandique argumento-  
rum suorum vim baudquam sperriendum. Multus quidem  
& prolixus est hic Author, in eo, ut evincat, Suprematum  
illum Cæs. Fürstenerii esse inane merumque spectrum,  
omniaque ejusdem jura, velut jus Belli ac Pacis, Fœderum,  
Legationis, Superioritate territoriali posse accommodari,  
atque etiam vigore ac vi ejusdem a Principibus & cate-  
ris Imperii Statibus exerceri. Cui quoque assentitur ali-  
us super eundem Tractatum Scriptor, contendens, male a se  
invicem Suprematum & Superioritatem territorialem di-  
stingui. Quamvis autem in eo Superioritatis territoria-  
lis jure Nonnulli Principes ex Imperii Potentibus omnem  
fiduciam non minus collocare vellent, orta hac de re in  
Tractatibus Noviomagicis contentione ac dissidiis; adeo  
ut satis in eo præsidii ac virium in Aula Cæsaris, & vel  
maxime apud Anglia Regem, ejusque Legatum, pro tuen-  
da Principum causa, sibi constitutum esse putarent. Für-  
stenerius tamen, cum tanti roboris hoc argumentum non  
esse animadverteret, (quippe objectionibus & exemplis  
Comitum, Baronum, & quarumvis Civitatum Liberarum,  
quibus omnibus æqualiter quoque adest illa Superioritas  
territorialis, obnoxium,) ideo ad rem, multis quidem no-  
mine insolitam, novam atque inauditam suis tamen fun-  
damentis probe innixam, nec non ab aliis jam ante Für-  
stenerium agnitam, & accuratius, sub nomine magis apto,  
inculcatam, denuo se convertit, eique pressius instituit. At-  
que hoc argumentum aliqua saltim, qua per ingenii im-  
becillitatem licuerit, indagine perficraturi præsenti Differ-  
tatione constitui; quod ut feliciter succedat, Divi-  
num Numen supplex veneror.

SE-

382  
SECTIO L

De

Jure Potentatus in genere.

I.

**A**ntequam vero ipsi de jure *Potentatus* tractatione me accingam, præmittenda quædam esse duxi, de ratione nominis ac derivatione hujus vocabuli, eum insinem, ut partim consuetudini, in conscribendis Dissertacionibus hactenus solenni, aliquatenus indulgeam; partim ut eo felicius deinde ad rem ipsam progredi possim.

II. POTENTATVM igitur a *Potentia*, cuius ipsam virtutem formamque in abstracto innuit, originem traxisse, neminem puto dubitare: siquidem jus hoc maxime innitur viribus et potentiae, in negotiis inter Gentes, tam *Paris* quam *Belli tempore*; atque *hoc* cum primis, ut alia jura, quæ facti plurimum continent, ac per virium impressio- nem absolvuntur. *add. Illustr. Dn. Præf. Diff. de libertate Statuum Imperii*, p. ii. Sic et *Graci* potentiam dñauu, sed ipsam ejus valentiam, seu virtutem, dñauastav appellant; quamvis dynastæ vocem quoque materialiter accipient, pro terris seu regione, cui quodlibet imperium seu potestas inest.

III. Vocatur a *Fürstenerio*, *Suprematus*. At vero hoc vocabulum, præterquam quod Latio adhuc ignotum sit, etiam multis *incommidis* laborat, & rem ipsam valde turbat. Sunt equidem nonnulli, qui etiam vocem nostram *Potentatus*, qua primum insignire illi. *Dn. Præsidijus* istud visum est, Latinitate excludere velint; nec Vossius L. 3. d. *Vit. Serm. Latin. c. 36.* eam pro genuina habet. Illud tamen fit absque fundamento, & suspicione saltim quadam novitatis: quoniam locum in probatis *Autoribus* invenit. Sic *Julius Cæsar*, *Lib. i. de Bello Gallico c. 31.* ita scribit: *de Potentatu inzter se multos annos contendere*, & *Livius Lib. 20.* eam adhibet: tum & apud Arnob. *Lib. i.* reperitur: *quod suis*

A 3

*tuis sit viribus potentatuique conveniens, ut & ap. Anastasium  
in Hist. Eccles. p. 13. & 47. ubique nota*s* potentia*s* & au*to*-  
ritatis singulare pondus ac vigorem; ut tamen etiam ex-  
cellentiam vigoris aut fortitudinis insinuet. Nam ita in  
textu Scriptur*a* Sacer*ta*, vulgata*e* versionis, occurrit, Psal.  
XIX. v. 7. Exaudiat illum de caelo sancto suo: in potentatibus,  
salus dexter*e* ejus. Alias: in fortitudine salutis dexter*e* sae.  
B. Lutherus: Seine rechte Hand hilft gewaltiglich. Et Psal.  
LXXXIX. v. 16. Si in potentatibus, (ali*e*: si in excellenti*a*) o*cto*-  
ginta anni. B. Lutherus: Wenns hoch kommt, so sindt ach-  
zig Jahr.*

SUPREMATVS autem denominationem hactenus  
nullibi reperi*r*i, Cef. Fürstenerio fuit demonstratum. Et  
præterea valde labitur in eo Fürstenerius, quod vocem ele-  
gerit, quam ipse agnoscit in præfaz, respondere Gallorum  
Souverainet*e*: ad quam tamen constituerendam summam  
& ab omni nexu subjectionis aut fidei obsequiose, libe-  
ram & solutam potestatem, requiri constat: quam quidem  
in Potentatu nostro non reperi*r*i, inferius, quando de Sub-  
jecto Potentatus agendum veniet, pluribus tradetur. Pro-  
be etiam attendendum, ne Potentatus, cum Libertate illa  
eximia Statuum Imperii, confundatur. Differunt enim  
inter se in eo, quod iste omnibus Statibus potentia, sive  
actu tantum primo, aliquibus tantum secundo; haec vero  
omnibus re ipsa, actu secundo & semper, competat. Ne-  
gandum interim non est, magnum sibi invicem haec, ut  
& Superioritatis iura præstare adjumentum vid. Illustr. Dn.  
Præf. c. Diff. p. 10.

IV. Quum itaque Potentatus ista præcipue jura com-  
pleteatur, quæ viribus, adeoque potentibus solummodo  
fundamentis, idque cum respectu quodam, Liberis Regi-  
bus & Rebuspubl. fere pari, nituntur: facile patet, nihil  
huc, quoad formalem rationem, pertinere Regalia, seu  
majora considerentur, seu minor*a*: sive in se, sive quatenus  
vi Superioritatis territorialis proprie*s* se exferunt; Sed  
re-

respectum potius sumi ad cæteros Potentes, quatenus potentia & viribus sibi invicem comparantur; adeoque juris in eo temperaturam involvere. Inde Fürstenerius in alleg. Tract. in prefat. ita Suprematum suum describit: *Suprematum*, ait, illi tribuo, qui non tantum domi subditos manu militari regit, sed qui exercitum extra fines ducere, (adde, & propriis sumbris alere,) & armis, fæderibus, legationibus, ac ceteris juris Gentium functionibus, aliquid momenti ad rerum Europæ Generalium summam conferre potest. In qua tamen definitione inter cætera desiderari posset, quod meram vi-  
 rium, non etiam juris, descriptionem illa exhibeat. Nam constat, jus hoc non potentia & viribus, adeoque facto solum metiendum esse, sed plurimos respectus personarum, aliosque continere, intra modos justitiae probe observandos; de quibus *infra*. Cæterum haud abs fatione addita sunt hæc verba: & propriis sumbris alere: siquidem manifestum est, vel ipsos Comites, Nobiles, aliosque sumbris alienis conflatas copias, & multa millia militorum, in castra eduxisse, qui tamen propterea Potentium dignitatem sibi nequaquam acquisivere; Quanquam non eo verba illa definitionis restringenda sint, ut *subsidia federatorum* excludant, quippe quibus utuntur inter Gentes potentissimi Regum & Rerum publicarum; indeque & Principes plures potentes in Imperio. Nobis POTENTATVS commode describi posse videtur, ut sit *Autoritas, viribus prevalentibus innixa, qua Imperii Status aliqui, salva fide & obsequio, Majestati Imperii debitum, non modo cum exteris Potentibus liberis in paritatem quandam Jurium sublimum Paxis & Belli veniunt; sed & eadem ratione cum Constatibus suis ipsoque Cæsare sociantur: indeque inter Gentes ad summam rerum praæ cæteris concurrunt.* Ex quo satis constat, quomodo Fürstenerii illa definitio emendanda sit. Constat etiam, me Potentatum in sensu proprio describere, ut singulari ratione Staribus Imperii Romani competit. Nam Principes Vasalli & Civitates Italie non minus poterant huc referri,  
 quippe

quippe in quibus idem significatus, idemque respectus, occurrit; malui tamen subsistere in Statibus Imperii s. Potentibus Germaniae, qui proprius res nostras attinent: & nullo negotio, quæ de illis deferimus, ad Italiae Principes Vasallos & Civit. applicari poterunt. Quantum vero illos concernit potentes, qui Majestate gaudent, seu potestate summa & libera ab obsequio: hi quamvis potentum nomine, der Gewalté, der Christlichen Gewalté, der Potentaten, (in sensu concreto,) utique veniant, tamen quia Potentatum habent vi Majestatis: hinc ad nostram Dissertationem, non nisi facta relatione ad societatem cum Potentibus nostris, pertinent.

V. Quod si enim Potentatum in ampliori significatu accipias: tunc etiam illi qui Majestatem tenent, & sive in statu Monarchico sive Polyarchico, Potentatum habere dici possunt. Et quidem, quoad statum Monarchicum, tribui potest hæc prævalentia non solum omnibus ac singulis post Imperatorem Romanum Europæ Regibus; sed etiam cæteris totius orbis Potentibus. Nam & numero istorum accenseri possunt in Asia, Turcarum Imperator, cuius vires & potentiam Europa nostra satis experta est, & adhuc dum experitur: Imperator Persarum seu Soporum; quem Ordinis in Imperio suo conservandi tenacissimum refert Horn. Orb. Polit. p. 546. Magnus Mogul in India, qui ex potentissimis totius Asiae Regibus est: Magnus Tatarorum Chamus, qui Imperium quoque amplissimum possidet. In Africa, post Ethiopum Imperatorem, quem Europæi Presbyterum Johannem vocant, (de cuius nominis vera ordine vide sis dictum Horn. Orb. Polit. p. 561.) Principes nonnullos & Resp. iis accensere licet. America v. Europæorum Regum ditionibus maxima ex parte cessit. Sed missis hisce, preprimis ad Imperium nostrum Romano-Germanicum, & significatum specificum, itetum me confero: Ubi quidem, quod Electores attinet, Rex Galliae inter alios pro Parentibus illos agnoscit; sed non pro supremis seu souverainis & independentis potestatis: indeque iam olim Electoris Bavari Maximiliani Legatis non tantum intro-

introitus solemnis honorem, sed & facultatem caput coram  
Rege regendi, denegavit.

VI. Enimvero Electores, (imo & reliqui *Principes*,) ob  
Libertatem eminentem, qua prædicti sunt, Dignitatem *Re-  
gia propinquam* præferunt; ceu idipsum Imperatores *Ma-  
ximilianus & Carolus V.* agnoverunt. vid. *Illustr. Dn. Praef. c.  
l. p. 3.* Et si vires, indeque procedentem authoritatem, inter  
Gentes, respicias, uti Electores, in actibus Imperii, *Regibus*  
aliis loco non cedunt: ita lidem extra illos proxime Regi-  
bus associantur. Habent enim (& non minus etiam Princi-  
pes Imperii cæteri,) jus *armorum*, & imo belli adv. exteris;  
licet cum aliqua restrictione. add. Handhabung des Friedens,  
zu Wormbs. de Anno 1495. tit. die Rönlgl. Maj. item Limn.  
*L. IV. f. P. c. 8. n. 247.* Schütz. d. f. Pupl. & Wahremund. ab  
Chrenberg l. de Fæderibus c. 2. n. 56. (ubi contendit Germaniaæ  
Principibus, ex antiquissimo libertatis prætenso, concessum  
esse conscribere milites, in propriam & aliorum salutem,  
modo forma in Imperii Constitutionibus expressa, rite ob-  
servetur;) & imprimis Rec. de Anno 1555. & 1570. ut & Reces-  
sum Spirensim 1544. Atque hoc jus bellum gerendi aliis dein-  
de pluribus, tanquam ex isto consequentibus, munitur; ve-  
lut inter alia jure habendi & extruendi *fortalitia*: dummo-  
do itidem citra præjudicium, molestiam, aut æmulationem  
alterius Status, ac defensionis solum gratia, neque Imperio  
in præjudicium fiat, vel contentionem exterorum provo-  
cet. conf. Limn. c. l. n. 246. & n. 235. Wurm. fasc. *Jur. Publ.*  
cap. 8. quæst. 21.

VII. Comitatur hoc armorum & bellum gerendi jus,  
*Fæderi pangendi* potestas, tam cum Statibus Imperii, quam  
cum *exteris*, etiam Regibus & Rebus publicis: ita quidem,  
ut nec confirmationem a Cæsare impetrare Status necesse  
habeant. vid. Limn. Tom. I. L. IV. c. 8. f. 23. Et quamvis  
multa fuerit disputatio tempore superiori, de federe  
*Smalcaldico, Chamborico, Unione Evangelicorum*, in Civita-  
te patia inita, aliisque; tamen per Capitulationes recentes,

& usum irrefragabilem, hæc res dubium ullum amplius non patitur.

IIX. Accedit Jus Legationis, quod concessis duobus prioribus non potest non, quippe indissolubili nexu iisdem coniunctum, Potentibus assignari. Nam & Bellorum negotia & Pacis, ad quæ utrobique Legatio respicit, alter inter Potentes, quam per Legatos, similesve Internuntios, tractari & perfici non possunt

IX. Interim non sufficiunt hæc jura ad hoc, ut vel ipsos Electores Potentum locum sustinere faciant: nam & reliqui Statu omnes gaudent armorum & Belli jure, tuz. & Fœderum ac Legationum: & præterea non eo gradu jura illa tenent Electores, uti supremi rerum suarum arbitri, & qui a nullo alio dependent, ut actus illorum a Potestate alia irriti fieri nequeant. Igitur sicuti hoc Posterior efficit, quo minus possint inter potentes absolute tales recenseri, (de quibus tamen h. non adeo solliciti sumus:) Ita ex priori sequeretur, nil discriminis inter ipsos & reliquos Status reperiri; verum omnes æque potentes, nec jus aliquod speciali Potentatus illius, quod intendimus, inter Status Imperii constitui posse. Quapropter ulterius de potentia illorum & Viribus dispiciendum est: Nam his efficitur, ut & Honor Legationis, item Fœderum, Bellique Vis, ac Pacis Negotiorum eminentia, multo major sit in Potentibus illis, quam in cæteris, qui Jura ista non tanta efficacia, & idcirco etiam non ea Dignitate & Authoritate, obire & exercere valent. Atque hinc sequitur, quod licet exteri Reges non respiciant, ne quidem Electores, etiam potentissimos, in Legationibus cum primis, (in quibus Dignitas intentis vel maxime se exserit,) uti Supremos Dominos, & ut Reges invicem se respiciunt; ramen majorem exhibeant honorem Legatis istis Electoralibus, & dehinc etiam cæterorum Principum, qui in numerum Potentum venire possunt, quam Legatis Statuum aliorum. Quamvis autem de Electoribus Ecclesiasticis aliquid dubitent, an Potentibus annu-

me

merari queant. Satis tamen de Potentia Electoris *Coloniensis* constat; nec minus Elector *Moguntinus*, ut & *Trevirensis*, valent viribus: quas augent etiam Episcopatus & Principatus, quos in sua potentia incrementum jungere student, & junctos jam habent, suis Archi Episcopatibus. Ut ne dicam de auctoritate & efficacia in negotiis Europæ, qua pollent Electores singuli, & quod in Bellis ac Fœderibus quibuslibet id omni conatu agant Reges & Respublicæ exteræ, ut eos in societatem trahant. Id quod sufficit ad hoc, ut potentibus, si non per se omnes ac singuli & omnimodo, hactenus tamen iisdem accenseantur, ut juncti alii maximum rerum momentum confiscere possint: ceu quidem in aliquibus Imperii Principibus existimandum est, eos simili ratione Potentum numero censeri; indeque gradus quoque Potentum & Potestatum constituendos esse.

X. Nam Electores quidem prærogativis pluribus gaudent, præ reliquis Principibus & Statibus Imperii; eo quod (1.) habeant *jus eligendi* Imperatorem Romanum, cui facultati tantam efficaciam tribuit Decretum Rudolph. Imp. ut hoc etiam nomine *Ipsos Regibus* pares habeat. (2.) gaudent sublimiori quadam Imperii administracione præ ceteris Principibus, ita ut etiam *extra Comitia*, exigente necessitate, Corpus Imperii repræsentare, & locum Statuum omnium pene sustinere posse videantur. (3.) in Comitiis Imperii separatum Collegium constituant; ac propterea vulgo dicatur, tantum posse unum Electorem, quantum aliorum Principum plures. Quod omnino agnoscendum est, si suffragiorum numerum, vel pluralitatem non respicias; sed pondera votorum, & vim Collegiorum, vel integrorum vel distractorum, consideres. (4.) quod possint peculiaries inter se conventus de maximis *totius Imperii* negotiis, instituere, quodque magnos & multos *Unionis* suæ Electoralis effectus negotiis illis imprimant: Et si quae aliæ sunt prærogativæ, quas vel *Interregni* tempore vel *alias*, sunt tum *Vicariatuum*, tum *præcipuorum Imperii* Officio-

siorum, habent de quibus *alibi* distinctius & plenius doce-  
tūr. At vero jura illa, quoniam limitibus Imperii Ger-  
manici circumscribuntur, neque proprie ac immediate ad  
Jura inter Gentes, & functiones, quidus *Potentatus* potis-  
simū suffulcitur, pertinent. Ideo nec videntur tantæ  
efficaciae esse, ut *Principibus* aliis in eo impedimentum aut  
præjudicium obvertere possint. Cætera namque supra  
commemorata, ac proprie ad præsens negotium spectan-  
tia *jura*, æque *Principibus* reliquis extra Electores compe-  
tent: & solum ad cujusque *Principis* vel *Domus* ejus, vim,  
potentiam & autoritatem, quibus forma *Potentatus* in-  
sistit, reflectendum est. Favet huic sententiae *Renatus Chop-*  
*pinus*, *Lib. de Domanio Franciæ* tit. 3. n. 15. quando scribit:  
*Electoralem Dignitatem, ac præ cæteris Principibus eminen-*  
*tiam, ad Comitia tantum & conventus Imperii restringi, nec*  
*in aliis Orbis Christiani conventibus ejus haber rationem;* ad-  
ducto cum primis exemplo *Concilii Basileensis*. Evidem  
*Fürstenerius de Suprem.* peregrino exemplo Electores cum  
*Veneris comparat, qui & Ipsi Regibus pares habentur: vel*  
*saltim Respublica Veneta prope Reges constituta est; Prin-*  
*cipes v. Imperii Ducibus Italiae, Sabaudo Mediolanensi &*  
*Mantuano æquiparant. Interea Electores magis ex Imperii*  
*functionibus & officiis a Principibus aliis, quam ex jure*  
*Potentatus, quippe quod in utrisque pari ratione occurrit,*  
*nec respectum præcise ad Imperii Romani status, sed po-*  
*tissimum ad exterorū involvit, distinguuntur.*

XI. Porro de *Statu quoque Polyarchico* quædam atin-  
genda sunt; cui inter exterorū accensentur Veneriarum Res-  
publica, Ordines Belgij Fœderati, & Cantones Helvetio-  
rum: mixta ex Nostrarib[us] & exteris Civitates Hanseaticæ,  
die Hanse Städte, & tum etiam Civitates Imperii liberæ,  
die freyen Reichs-Städte. Exteris illis *Fürstenerius Supre-*  
*matum tribuit.* Sed Civitates Imperii & Hanseaticas juris  
hujus capaces haud judicat, quod nec Dignitatem Princi-  
pum habeant, nec per se exercitum conscribere, atque de  
suo

38

suo alere possint. Quemadmodum vero Suprematus nulli  
competit Civitati Imperiali aut Imperii, uti pleræque Han-  
seaticarum quoque sunt: Ita, quod Potentatum, (ut rectius  
dicitur,) attinet, in *Hansa Teutonica* (de cuius origine ac va-  
ria appellatione vid. Carpz. de Leg. Reg. Germ. c. 6. sect. 10. A-  
rum. disc. ad A.B. p. 289. &c.) tot deprehenduntur requisita,  
quot Potentatui constituendo possunt sufficere. Nec  
enim ratio ista *Fürstenerii*, quod sc. Dignitate Principum de-  
stituantur, pondus aliquod habet: Nam ita certe etiam Fœ-  
deratis Belgii Provinciis jus hoc denegandum esset. Et jus  
quidem *Armorum* aliquoties exercuisse Civitates Hanseati-  
cas, bellaque admodum gravia, præcipue contra Ericum,  
Sueciæ Regem, gessisse, Historicorum testimoniis satis com-  
probatur. Fœdera deinde plura iniere, præprimis celebre  
istud *Anno 1616.* cum Ordinibus Belgii Fœderati, tam ad mer-  
caturam promovendam, quam ad mutuam libertatis defen-  
sionem; Cæfare licet, & Electore Saxoniae acriter fese oppo-  
nentibus: cuius etiam vigore Ordines Belgii Civitatem  
Brunsvigam obsidione liberarunt. Et quamvis Kirchne-  
rus *Disp. 14. de Republ. lib. 2. liz. c.* non tantum jura Legatio-  
num, sed & Imperii ac Jurisdictionis Civitatibus illis dene-  
get, hac potissimum ratione, quod loco privatorum sint. Ta-  
men etiam Principes Imperii, & ipsi adeo Electores, juribus  
privatorum non minus utuntur: quippe qua maximam  
partem Juri Nat. & Gentium sunt. Quousque vero Ci-  
vilia haberi possint, cum Potentatu nihilom. consistunt. Quo-  
niam vero tanti roboris & vigoris hodie non amplius esse  
Corpus Hansæ Teutonica satis cognitum est, & potentia Po-  
tentatus nititur: hinc etiamnum illud inter potentes, vix Ge-  
wälte, recensere ulterius non licet.

XII. Similiter liberis Civitatibus Imperialibus jus Poten-  
tatus Idem denegat *cir. loco*, *Fürstenerius*. De quo in adver-  
sum *Anonymous* quidam in *Discursus super Fürsten. Tract. de Su-  
prem. p. 6.* Quare, si Autor, inquit, *Suprematum suum, jure ar-  
morum, conducendi militis, & extra fines ducendi, item fœderum*

ineundorum facultate, aut potestate legatorum mittendorum, definiri, haud sane est, cur Principes Imperii a Comitibus & Urribus liberis ea in re distinguant. Omnium enim ad istos omnes actus par idemque plane jus & libertas, quæ ex Superioritate territoriali profuit, etiam in Instrumento Pacis absque ullo respectu aut discriminé Statibus est confirmata. Si vero de potentia sermo incidat, exempli loco adduxit Noribergam, Ulmam, Coloniam Agrippinam, &c. quæ terris amplis & viribus polleant. In hanc quoque eandem sententiam conspirant verba Anonymi alterius, in Not. & Animadvers. ad Eund. Tractat. p. 14. ita differentis: male, inquit, Autor Superioritatem territorialem a Suprematu distinguere, quia id ipsum, quod Suprematum tribuit, in jure territoriali omni virtualiter inest. Ex accidenti autem sit, si regionis aut virium exiguitas non sinat quem apud exteriores in publicis negotiis momentum facere. Adde enim illi infirmo Statui majus territorium, & comparanda potentiæ sufficiens, et si nihil amplius juris addas, statim Suprematus competit: quam iniquum vero jus quoddam a vi & potestate metiri? Et tamen in quo tutius pedem figas, ut Civitatibus Imperialibus indistincte Potentatum non tribuas. Nam ipsæ quidem singulæ Superioritatem territorialem, Jus etiam armorum, belli, fœderum & Legationum habent; sed tamen ut absolví hæc jura etiam citra potentiam singularem queant. Unde figura illa in se confideres, utque verum est, ea partim vi Superioritatis territorialis, partim vigore Liberratis eximiæ, Statibus omnibus Imperii, & sic quoque suo modo Civitatibus Imperialibus liberis competere. Quis autem Civitati cuidam Imperiali, qua minoris momenti est, qualium plures in Imperio reperiuntur, eadem ratione Potentatum asserendum esse dixerit? Et hinc statis patet, quod Potentatus ex Superioritate territoriali inferri nequeat; quippe quod non sequantur, Civitas illa habet jus armorum, Belli, Fœderum & Legationis, E. est potens, & potentum nominibus adscribenda. Deinde non sequi-

38

sequitur, jus ipsum habere Status singulos, modo Poden-  
tiam habeant singuli, quæ cum per accidens veniar, si quam  
acquirat Status, protinus Jus potentatus seu potius Supe-  
rioritatis se exserere. Neque enim si ex Superioritate  
pendet, expectandum fuerat, donec potentiam Status ille  
acquireret; sed jam poterat esse inter potentes, quoniam  
Superioritatem actu tenet, licet potentia destitutus esset:  
quod tamen absonum est. Adveniat quoque Potentia per  
accidens; tamen illa deinceps per se Potentatum gignit,  
quem non poterat gignere Superioritas: indeque Poten-  
tatus omnino jus quoddam a Superioritate diversum est;  
non aliter atque terra Ducatus alicui per accidens adve-  
nire possunt, quæ terræ tamen per se Dignitatem Ducalem  
ipſi adferunt. Evidem Jus Legionis aut armorum, quan-  
do viribus destituitur Imperii Status, effectus illos non ha-  
bet, quos Legationes aut Arma potentum habent. Nam  
Legatus Principis cuiuslibet non eo honoris gradu recipi-  
tur, quo Legatus Principis potentis: & Arma Comitis non  
ea pollut efficacia, qua valent arma Electoris. Imo nec  
Majestatem dicere licet, potestatem illam, quæ a ne-  
mine dependet, sed viribus tamen exigua est; (quamvis  
talis potestas non facite diurna esse soleat:) verum ea  
simul potentia niti debet, qua potestas illa vindicare & tue-  
ri se possit: ita ut Imperia & Dominatus non per acciden-  
tiantur viribus, sed per se; licet vires illæ per accidens ac-  
quirantur. Quid quod discriben ingens sit inter Bellum  
& Arma quælibet: Unde Civitas Imperialis *infirmior* ar-  
morum quidem jus habet, imo & jus Belli. At vero hoc  
non potest sola in actum deducere, nec in societatem pau-  
corum, ut potentes sunt, facile recipitur; sed haec tenus so-  
lum in universitate Imperii summam rerum aliquatenus ju-  
vat. Diversa itaque sunt jus Belli habere, & Bellum gerere  
posse. Ex isto non conficitur Potentatus, sed ex hoc: quia  
Potentatus est facultas, quæ potentia perficitur; non dispo-  
sitione. In actum vero secundum traduci authoritas inter

Gentes

Gentes & Impressio non potest, nisi ubi vires ipso' opere ad-  
sunt. Non etiam Civitates ita, quas *Anonymus* in specie  
exprimit, Noriberga, Ulma, &c. vires illas *singulæ* habent,  
quantum ad hoc, ut inter potentes numerentur, satis est.  
Quod vero junctæ Civitatibus aliis in summa rerum quid  
valeant, illud efficere posset, ut si eo numero, atque eo fere  
nexu atque apparatu, (ut in *Hanseaticis* factum est,) coirent,  
qualis ad potentiam exercitus & authoritatem seu formidi-  
nem sufficit, habeantur utique in censu Potentium. Sed ea  
Civitatum coitio, illudve institutum nondum apparuit; &  
fortassis etiam invidiae accendendæ opportunum foret  
Hamburgum sane, (& si quæ alia fuerit,) potens videri po-  
terat Res publica; & tamen non nisi præsidio suo constat,  
armorum apparatus reliquus mercatui debetur, & quic-  
quid vis pecuniarum efficere potest, cum pro tempore so-  
lum & instantे periculo cogatur, nec pecunia ac divitiae po-  
tentiam armatam, quæ viros postulat, conficiat: hinc ne qui-  
dem ejusmodi Civitas Potentibus annumerabitur, aut Po-  
tentatum habere dicetur. Denique *jus acquirendi* divitias  
& bona cuilibet inest, nec tamen divitem quis reputabit  
eum, qui divitias non habet, quamvis haec per accidentem adve-  
niant. Similiter *jus Potentatum acquirendi* habet quilibet  
Statuum in Imperio; sed tamen Potentatum, priusquam illum  
acquisiverit, habere dici non potest. Non etiam *Jus*  
armorum, fœderum, Legationum, inferunt Potentatum;  
sed qui Potentatum habet, ille armorum vim ad Belli poten-  
tiæ impedit, in fœdera trahitur, aliosque trahit, & autho-  
ritatem Legationis majorem sortitur, sicut ipse majori for-  
midine a potentibus aliis respicitur: nil officiente, quod for-  
tassis quoad gradum *precedentia* aliis non æque potentibus  
*inferior* sit: Nam *precedentia*, cum primis inter membra  
unius Reipublicæ, quæ certis Legibus regitur, non desumi-  
tur præcise a potentia, & moderna quidem; verum alias  
quoque causas, velut antiquitatis, sanguinis, vel potentiae  
antiquæ, habet. Sicut etiam, (quæ rerum humanarum  
viciiss-

vicissitudo est, ) potentes aliquando esse desinere possunt,  
atque Potentiam amittere, quos nunc in ea constitutos esse  
videmus.

## SECTIO II.

De

### Jure Potentatus in specie.

I.

**A**d specialia Potentatus supposita & requisita transi-  
tio, considerandi sunt diversi temporum status, in  
quibus Potentes constituuntur. Sunt illi pacatus  
& bellicus. Ad pacatum referri posse videntur Legationum,  
ac aliquo modo Fæderum jus: nam hoc omnino ad utrum-  
que accommodari potest. Et quidem quando jura illa, quæ  
alias ad Superioritatem Territorialem aut Libertatem Sta-  
tuum Imperii referuntur, ad Potentatum trahimus, semper  
illa in eo gradu & eminentia accipienda sunt, ut inter *Gentes*,  
(quippe quarum intuitu Potentatus vel maxime vigore in  
suum exserit,) cum formidine & authoritate singulari con-  
juncta sint; eo quod vim & efficaciam præalentem ex po-  
tentia operantis in eo fere gradu consequantur, qui *Regibus*  
& *Potentibus* inter Gentis reliquis adscribi solet.

II. Legatos mittendi jus inter præcipua Juris Gentium  
capita refert Grot. Lib. II. c. 18. & Pufendorf. de J. N. G.  
Lib. II. c. 3. §. 22. adeoque egregium illud Potentatus mo-  
mentum esse, exinde quoque colligere est, quod non so-  
lum Regalibus, & Juribus Majestatis majoribus, annume-  
retur, (vid. Wurm. *Jus Publ. Ex.* IV. q. 4. Besold. de Legat.  
c. 31. Dan. Otto. de *Jur. Publ.* p. 407.) sed etiam, quod abs-  
que isto cætera ad exteriores porrigena jura & functiones  
Gentium exerceri nimine possint. Wurm. c. I. q. 6. Nam  
nec fædera iici, nec indici bella, nec iterum coire concordia, nec  
ulla reipublicæ cum exteris negotia expediri possunt, sine inter-

C

ventu

ventu Legatorum, ait Lampad. de Republ. Rom. Geru. part. 3.  
c. 10. §. 1.

III. Evidem Legatorum ut officia diversa, sic & Dignitates eorum ex condizione & Statu mittentium estimationem suam accipiunt. Quo respexisse quoque videtur Conring. in Diff. de Legat. §. 6. scribens: *Legatos proprios dignos hodie non uno modo, sed pro statu ac dignitate mittentis aliter atque aliter vocari*: Nec obscurum est, quod non omnes, ne quidem a supremis potestatibus, publicorum negotiorum causa missi Ambasciadores audiant; sed soli illi, qui majoris officii causa & cum charactere summo mittuntur: cæteri vero Ablegari seu Deputati audiant; quales etiam habentur, qui ab inferiori ad Superiorem, & vel a subditis ad Principem suum, ablegantur.

IV. Proinde illi, quos Potentes appellamus, sicut nec Ambasciadores mittunt, (quippe quod honore eo Legati ipsorum non gaudeant, & ne quidem Legati Electorum,) neque etiam Legatos eorum pro Deputatis haberi posse cogitandum est; verum ipsos potius effectus & jura Ambasciadorum seu Legatorum eximie talium ex jure Gentium obtinent, quantum ad securitatem fidemque ipsorum attinet: (tantum quod eandem Dignitatem, quæ summa potestatis representatio est, non sortiantur, nec sortiri possint, ceu nec potestate illa summa Status Imperii gaudent, qua tales sunt, nec singuli, nec qua corpus conficiunt, separatum a Cæsare: & si quando Cæsari juncti sint, Majestatem Imperii non nisi ut subiectum commune sustinent:) Ita etiam Residentes illorum, quos in Aulis quibusdam præcipuis alere Potentes ejusmodi solent, in relatione ad Legatos ipsorum, gradu quodam remissiori quam Residentes Regum & Rerump. quæ Majestate pollent, habentur: quorum quidem Residentium officia in eo potissimum versari debebant, ut rerum memorabili- um, & ad Status negotia pertinentium, Principem suum & Dominos participes facerent; non vero, ut Exploratorum ac

ac Proditorum instar rebus Principum ad quos mittuntur  
aut Rerum publicarum nocent, & perversa quandoque  
præjudicia Principalibus suis inculcandi cura occuparentur.

V. Quemadmodum ergo Legationes ad res cum exte-  
ris tractandas suscipiuntur, ita etiam Fædera eo respiciunt,  
atque hinc, prout & Legationes, ad Jura Majestatis æquipa-  
ranziæ, i. e. quæ Majestas exercet in ordine ad alium, extra  
civitatem, pertinent, qui Principi, in sensu nempe politico,  
æqualis est. Hæ conventiones publicæ, atque externa po-  
tentia præsidia, pro diverso fundamento ac fine diversos  
quoque effectus sortiuntur; alia quippe commerciis promo-  
vendis, alia aliis finibus Societatum vel Rerum publicarum &  
Principum mutuis inserviunt. Hoc loco tamen fæderis signi-  
ficationem eam cum primis adhibendam esse putaverim,  
quam Texror habet in Synops. Jur. Gent. c. 23. §. 3. & seqq. qui  
nonnisi ob armorum societatem fædera proprie dicti iniri exi-  
stimat: quibus accenserit non minus debet fædus *ædia Copias*  
sive *Neutralitatis*; Nam & hæc acceptio juri Potentatus præ-  
ceteris videtur esse conveniens: & licet fines ulteriores for-  
tiri fædera quoque hæc possint, puta ex commerciis divitias &  
subsidia Rerum publicarum, quibus tuendis fædera ista &  
armorum tutamina inserviant. Ipsa tamen fædera proprie  
& eximie dicta armorum societatem & auxilia bellica re-  
spiciunt. Atque hinc etiam Fædus Hanseaticum, utut am-  
plissimum & publicum, nonnisi mercatoriam societatem, aut  
stylo Cranzii, communionem appellant; Quamvis etiam vel  
ob hoc societas illa *proprium fæderis significarum* non mere-  
atur, (æque ut in rigore eum non sortiuntur fædera ipso-  
rum Imperii Statuum,) quoniam Civitates illæ pacientes  
*Majestate* non gavisæ sunt: alias autem finem & præcipuum  
& per se intentum, mercatum habuerit, non potentiam eam,  
ad quam ex generositate animorum Potentes feruntur; qua-  
que uti student, ut publicum eumque universum statum  
Regionum suarum extollant & adv. quælibet incommoda

tueantur. Cæterum sicuti bella, ita etiam fœderata vel offensiva sunt vel defensiva: utrobique ratione præstationum vel æqualia vel inæqualia, ut tamen hæc distinctio etiam ad ipsos fœderatos seu statum ipsorum, quin & ad directionem fœderis, referatur.

VI. Diximus superius, quod jura ista, Legatorum & Fœderum, ad statum quoque pacatum pertineant. Imo triusque juris exercitum fieri citra turbas & arma potest; sed non ita juris Bellum gerendi. Quare licet Arnisæus jus fœderum faciendorum partem juris belli faciat. (junct. Textor. c. I. p. 82. & al. qui eadém pari passu ambulare docent. Carpzov. de L. R. G. c. 4. n. 3. Arum. ad A. B. p. 200.) Tamen, ob rationem prædictam, ista jura duo ad pacatum referri possunt, cui bellicus opponitur. Subjure autem bellum gerendi comprehenduntur omnia, quæ ad arma inferenda, seu exercenda, indeque ad armatam persecutionem & tutelam pertinent. Talia sunt exercitum conscribere, stipendia constituere, deleatum habere, armamentaria instruere, in hostem movere, configere, prædas agere, penas ac præmia militum moderari, atque complura alia, quæ singula ordine recenset Bœcler. in Diff. Polit. I. Conf. quoque Lampad. de Republ. Rom. Germi. part. III. c. 19. Atque hoc jus Belli præcipuum suppositum est, quod si a potente usurpetur, in Potentatum vergit: quo sane pertingere non potest in eo, qui amplitudinem eam virium non habet. Oportet igitur facultatem eam virium eminentium in eo, qui statum publicum regit, in genere morum peculiare quid constitueret: quoniā effectus inde procedunt certorum iurium & Prærogativarum, qui ex jure Belli cæterisque Superioritatis Territorialis haudquaquam sperari aut obtineri possunt.

VII. Denique ut finis Belli Pax est, neque Pax illa datur hoc sensu, nisi bellum antecesserit: ita etiam Jus Pacificationis, seu annexum Juri Belli, ad Potentatum referri debet,

bet, eoque reduci illa, quæ de Jure Pacis *Gudelinus*, aliisque  
plures, commentati sunt.

### SECTIO III.

De

## Characteribus Potentatus.

I.

**H**oc nomine intelligo exteriora illa honoris, in spe-  
cie titulorum, compellionum, præcedentiæ, tum  
& ceremoniarum & pompaæ seu apparatus axio-  
mata, quibus utuntur & uti possunt, non tam potentes qui-  
libet, quam hi qui noſtro Potentatu, hactenus explicito, gau-  
dent; & vel Ipsi vel Legati ipsorum. Nam effectus quidem  
communes, qui ex juribus in Potentatum influentibus ori-  
untur, ut est v. c. Legatorum inviolabilitas, eorumque  
conſectaria, ut per traetemus, vix operæ pretium est, cum  
illi ex promiscuis doctrinis affatim hauriri queant.

II. Et titulo quidem *Majestatis* Potentes nostri non  
utuntur; saltim quod singuli Majestatem seu Potestatem  
ipsum, cuius titulus ille indicem præbere debet, non ha-  
beant; & si quis eorum in tractu aliquo terrarum summa  
eaque libera potestate gaudent: ista quidem *Suprematu*  
confidere queat, (hoc enim nominis huic statui rectius con-  
venire arbitror, quam ut illi, quem nos Potentatum ap-  
pellamus, congruere possit,) Majestatis vero titulo frustra  
in signatur: cum Mejestas potentiam *Regia parem* in illis  
terris desideret, nec magnitudo nominis aliter, quam si  
juxta potestatem, vires quoque amplæ & Regiæ, in ea re-  
gione libera, reperiantur, ejusmodi regioni aptanda, do-  
minusve ejus illo titulo compellandus sit. Utique etiam  
*Liberæ Republicæ* titulo illo *Majestatis* abstinet, quoniam  
ille *Regio* statui semper attributus est; indeque potius ad  
*concreta*, quæ eximiae potentiae indicium præbent, semet

convertebunt; seu Veneri Rempublicam suam Serenissimam,  
& Fæderati Belgii Status, (quibus Respublicas sociatas intel-  
ligi oportet,) die Hochmögende, seu Potentissimi, insigniri  
malverunt. Et tamen significatus ille sublimior est, quam  
si Electores cæterique Principes in Imperio, qui Potentatum  
tenant, Serenissimi, item Potentissimi, appellantur; pariter  
atque Legari ipsorum, quando in Comitiis, vel alibi, Ex-  
cellentiæ titulum sibi vindicant. Nam hæc omnia in am-  
pliationem exterorum sustinentur. At si ad Potestatem ipsum,  
ejusque libertatem & summitatem, expendi velint: satis  
constat, eam penes eos, qui in Imperio Potentes sunt, non  
reperiiri; & inter ipsos Principes promiscue Serenissimorum  
titulum usurpari, ratione sanguinum videlicet, ac præcipui  
gradus Libertatis Imperialis: cæterum pauciores inter eos  
ad Potentium numerum referri, nedum potestatis ejus cen-  
seri posse, qua Reges Serenissimi aut Respublicæ liberæ  
fruuntur. Unde etiam Fraternitatis compellationem Rex  
Gallia Electoribus gratificatus est; sed tamen ut illi hono-  
rem Majestatis ei tribuerent: & Sabaudia Dux Serenitatem  
iisdem Electoribus, postquam illi Celsitudinis Regia allocu-  
tionem ei tribuerunt. Ex titulis igitur & præcedentia  
Potentatum, potestatem quoque summam, inferre non li-  
cet, quoniam Respublicæ liberæ cedunt Principibus pleris-  
que potentibus, seu Potentatum habentibus; qui tamen Ma-  
jestatem non habent. Quod quidem, nisi constaret eandem  
Dignitatis rationem non esse in Corporibus seu Universita-  
tibus, quanta est in singulis: atque Personalis Dignitatis ma-  
jorem, quam realis, (cum primis si hæc in pluribus collectim  
constituatur,) efficaciam esse: peregrinum magis videri  
posset, quam quod Electores Imperii Germanici Principibus  
quibuslibet exteris, & in specie Italicas præferantur, vigore  
Capitulationis; ubi dispositum reperitur: Nachdem sich  
auch eine Zeit hervorgetragen, daß Ausländischer Fürsten Ge-  
sandten an dem Kaiserl. und Königl. Hof und Capel die præce-  
denz

denz vor denen Chur-Fürstl. Gesandten prætenditen bürffen,  
sollen und wollen wir inskünftige solches weiter nicht gestatten;  
Wäre es aber Sache, daß neben denen Chur-Fürstl. Gesand-  
ten entweder der gerönten regierenden ausländischen Könige,  
Königl. Wittben oder Pupillen, denen die Regierung, so bald  
Sie Ihr gebührendes Alter erreichtet, zu führen zustehet, und  
immittels in der TuteL oder Curatel begriffen sind, Potschaf-  
ten zugleich vorhanden wären, so mögen dieselbige denen Chur-  
Fürstl. Gesandten vorgehen. Nam Italiae Principes summam  
liberamque potestatem non habent, nec Vasalli tantum  
sunt, verum & subditi Regni Italiae & per hoc Imperii Ro-  
mani: quibus idcirco Imperator in eo Legem dicere potest.  
Ut tamen quoad eos Italiae Principes, qui Dignitatem Re-  
giam non habent, nec coronatis accenseri possunt, licet li-  
beram sibi potestatem vindicent, Imperator solum in mo-  
dum conventionis teneatur Electoribus, quod intra Impe-  
rium nolit admittere, ut principum illorum Legati Electro-  
ralibus præferantur: Wollen es weiter nicht gestatten. Quo-  
usque vero extolli possit præscriptio illa solemis, in Prin-  
cipibus Imperii: Bon. Ottes Gnaden. & quod illa in-  
dependentiam non arguat, eaque non utantur Status erga  
Cæsarem: illud, cum aliis eo pertinentibus, annotavit  
*Illstr. Du. Præses in Diff. de Liberro Princip. Imperii. p. 18.*  
*seqq. junct. Diff. de bis quæ perperam Libert. Principum accen-*  
*sentur: Ex quibus percipere licet, plura subinde adduci*  
*a Scriptoribus, quæ pro indicibus vel summae potestatis*  
*vendant, & facilius igitur ad potentatum inferendum*  
*usurpari possent; quæ tamen neeo quidem pertrahi queant.*

III. De *Præcedentia* quoque Potentum in Imperio  
admonendum est, eam ex ipso Potentatu non deduci, sed ex  
aliis causis ab antiquo, illisque perdurantibus & fixis: adeo  
ut Princeps etiam minus potens propterea non inferior  
allo potente æstimetur. Quæ vero extra Præcedentiam  
seu incedendi ordinem, characteres honoris sublimis haberi

volunt: in his ne quidem Electoribus cedunt Principes reliqui, maxime *Familiarum superiorum & antiquiorum*. Inde etiam Legatis suis æque titulum *Excellentia* & similia tribui volunt, atque suis Legatis vindicant Electores; nec minus facultatem, ut in Congressibus publicis, & ubi personæ suæ characterem præsentari cupiunt, Legati ipsorum sex equis vehantur, *sedilia* eadem altitudine ponantur, ejusdem structuræ & ornatus sint; & quæ alia seculum nostrum ambitionis instrumenta vel argumenta produxisse vidimus.

IV. Cum vero de *Ceremoniis variis*, puta in solenni Introitu, in Honore manus & præcessionis, in Occursu, Visitatione, Comitatu, Potestate caput tegendi coram Regibus, in Guardia & sim. hi qui de *Ambasicatoribus scripere*, solliciti fuerint, atque *Fürstenerius* ad propiora deve- niat, quæ ad nostrum scopum respiciunt, (Quanquam non modo plura inter ista reperiantur, quæ non tam ad Potentatum, quam ad *Libertatem* Principum nostrorum perti- neant, sicut in *supra laud*. Dissert. de *Libert. Princip. & Statuum Imperii* ostenditur; imo dictus author Potentatum ad Majestatis apicem frustra extollat, indeque meras & soveat & promoveat confusiones, quas ex *supra dictis* evita- relicit:) Hinc ad discussionem horum digredi nec vo- lupe nec omnino necessarium est.

FINIS





Sbz

KDT



B.I.G.

Black



DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> JVRIS P<sup>V</sup>BLICI  
DE  
**POTENTATV**  
P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO

**DN. NIC. CHRISTOPHORO  
LYNCKERO**

HAEREDITARIO IN Fluhstädt ET Rötschau, CONSILIA-  
RIO SAXONICO INTIMO, VT ET REGIMINIS ET CON-  
SISTORII TVTELARIS, FACVLTATIS JVRIDICAE SE-  
NIORE, ANTECESSORE PRIMARIO, CVRIAЕ PRO-  
VINCIALIS AC SCABINATVS ASSESSORE  
GRAVISSIMO

AD DIEM III. NOVEMBER ANNO MDC XC. *Jena*  
PVBLCAE ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPOSVIT

RESPONDENS

**JOHANNES MICH. HARTMANN,**  
SVEVO-HALLENSIS.

VITEMBERGAE  
RECVSA LITTERIS HAKIANIS. MDCCXXXVII. (3)